

ornatum auri argentique multum  
 absumit. Vulgaris porro ad men-  
 sas supellex fictilis est, quam Euro-  
 pæi fere nescio qua ex causa *Porce-  
 lanam* vocant, cui parem inter fi-  
 ctilia vasa non reperias, sive tenui-  
 tatem sive nitorem spectes. Nobi-  
 lissima fingitur in Kiamsinensis  
 Provinciæ agro, in quo massa lu-  
 tea est, è qua fingi solet. Inde in  
 universum regnum finitimasque  
 Provincias ac remotas in Europam  
 usque distrahitur, & ubique habe-  
 tur in pretio ab iis, qui nitorem  
 inter epulas pluris, quam pom-  
 pam faciunt. Eduliorum etiam  
 ferventium vim patitur, nec un-  
 quam findi solet, imo, quod mi-  
 rere, frustra inter se filo æreo assu-  
 ta liquorem continent, nec trans-  
 mittunt.

Vitrum quoq; Sinæ constant, sed  
 in eo longe ab Europæis vincuntur.

Ædificia vulgo lignea sunt, etiam  
 regia palatia, ita tamen, ut parie-  
 tes